№ 18. Dodatek do Tygodnika katolickiego. № do 35.

ARCHIDIECEZYA LWOWSKA.

Ad Venerabilem Clerum secularem et regularem

Archidioecesis Leopolitanae.

Venerabiles Fratres.

Sacra Sedes Apostolica solet, pro temporum ac locorum circumstantiis, Episcopos, in partem solicitudinis Suae vocatos, in iis praesertim regionibus, quae longius distant, peculiaribus exornare facultatibus, ut indigentiis spiritualibus fidelium promtius ac uberius providere valeant.

Hinc est, quod et Nobis, quam primum ad pastorale regimen Archidioecesis hujus vocati fuerimus, facultates quasdam speciales delegare, alias vero serius, ad preces Nostras, indulgere Nobis censuerit.

De nonnullis fecultatibus tali modo Nobis indultis, jam Venerabilem Clerum Nostrum informavimus; quum autem utile existimemus, et Venerabilis Clerus, praesertim curatus, ad exactam notitiam omnium Nobis a Sacra Sede Apostolica delegatarum facultatum perveniat, e re duximus, illas in unum collatas, publici juris facere.

I. Imprimis evidentiae gratia commemorare libet, quasdam, Antecessoribus Nostris delegatas facultates, juxta delegationis respectivae tenorem ipso jure in Nos transiisse — et quidem:

1. judicandi in II. instantia tam matrimoniales, quam alias etiam ecclesiasticas causas, Archidioecesis Leopolitanae ritus armeni (Breve de die 13. Martii 1857) *ad decennium*,

2. judicandi in II. instantia similes causas Archidioecesis Leopolitanae ritus graecocatholici (Breve de die 24. Aprilis 1857) *ad decennium*.

3. celebrandi examina concursualia cum candidatis ad beneficia curata, justa modalitates uberius expositas, atque eximendi quosdam candidatos ab onere examen quoad scientiam solam iterandi — (Rescriptum Sacrae Congregationis Ecclesiasticis extraordinariis praepositae, de die 28. Januarii 1859 — publicatum per Currendam de die 30. Martii 1859. N. 473.) *ad decennium*.

II. Facultates, quas jam ad notitiam Venerabilis Cleri pertulimus, sunt sequentes:

1. impertiendi, etiam per sacerdotes a Nobis delegatos, Apostolicam benedictionem cum indulgentia plenaria moribundis (Breve de die 24. Martii 1860. Currenda de die 21. Nov. 1860. N. 3158.) Facultas haec tributa est Nobis ad tempus, quo Archidioecesi huic praefuerimus.

2. tribuendi assensum in alienationem et onerationem bonorum Ecclesiasticorum et Regularium. (Brevia de die 3. Aprilis 1860, et 16. Aprilis 1861. — Currendae de die 10. Oct. 1860. N. 1679 et 17. Junii 1861. N. 1377.) *ad decennium*.

3. dispensandi in impedimento mixtae religionis (Rescriptum Sacrae Congragationis Sancti Officii de die 21. Nov. 1860. Currenda de die 14. Januarii 1861. N. 3375.) *ad triennium*.

4. indulgendi presbyteris usum capillorum fictitiorum etiam in Missarum celebratione. (Rescriptum Sacrae Congregationis Rituum de die 10. Januarii 1861 — Currenda de die 10. Febr. 1861 N. ord. 6.) *ad triennium*.

5. subdelegandi simplicibus sacerdotibus facultatem ad benedicendas campanas. Rescriptum Sacrae Congregationis Rituum de die 19. Januarii 1861 — Currenda de die 10. Febr. 1861. N. ord. 7.) *ad triennium*.

III. Aliae denique facultates, quibus ex delegatione Sacrae Sedis Apostolicae pollemus, sunt:

1. *pro foro externo* — per Rescriptum Sacrae Congregationis de propaganda fide de die 1 Aprilis 1860. *ad beneplacitum ejusdem S. Congregationis* concessae, cujus quidem Rescripti tenor est sequens:

Facultates concessae a SS. D. N. D. Pio Divina Provit. PP. IX. R. P. D. Francisco Xaverio Wierzchleyski Archiep. Leopoliensi ritus latini.

1. Absolvendi ab haeresi, et apostasia a fide et a schismate quoscumque, etiam acclesiasticos, tam saeculares, quam regulares; non tamen eos, qui ex locis fuerint, ubi sanctum officium exercetur, nisi in locis missionum, in quibus impune grassantur haereses deliquerint, nec illos qui judicialiter abjuraverint, nisi isti nati sint ubi impune grassantur haereses, et post judicialem abjurationem illuc reversi in haeresim fuerint relapsi, et hos in foro conscientae tantum.

2. tenendi, et legendi, non tamen aliis concedendi, praeterquam, ad tempus tamen, iis Sacerdotibus, quos praecipue idoneos, atque honestos esse sciat, libros prohibitos, exceptis operibus Dupuy, Volney, M. Reghellini, Pigault, le Brun, De Potter, Bontham, I. A. Dulaure, Fêtes et Courtisanes de la Grece, Novelle di Casti, et aliis operibus de obsoenis, et contra Religionem ex professo tractantibus.

3. dispensandi in 3. et 4. simplici, et mixto tantum, nedum cum pauperibus sed etiam cum nobilibus, et divitibus in contrahendis; in contractis vero cum haereticis conversis, etiam in 2. simplici, et mixto dummodo nullo modo attingat primum gradum, et in his casibus prolem susceptam declarandi legitimam.

4. dispensandi super impedimento publicae honestatis justis ex sponsalibus proveniente.

5. dispensandi super impedimento criminis, neutro tamen conjugum machinante, ac restituendi jus petendi debitum amissum.

6. dispensandi in impedimento cognationis spiritualis praeterquam inter levantem, et levatum.

7. hae vero dispensationes matrimoniales, videlicet, 3. 4. 5. et 6 non concedantur, nisi cum clausula, dummodo mulier rapta non fuerit, et si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat, et in dispensationibus hujusmodi declaretur expresse illas concedi tamquam a sedis apostolicae delegato, ad quem effectum etiam tenor hujusmodi facultatum inseratur, cum expressione temporis, ad quod fuerint concessae, alias nullae sint.

8. dispensandi in irregularitatibus, ex delicto occulto tantum provenientibus excepta ea, quae ex homicidio voluntario contrahitur.

9. dispensandi, et commutandi vota simplicia in alia pia opera, exceptis votis castitatis, et religionis.

10. absolvendi ab omnibus casibus rêservatis, etiam in bulla coenae contentis, in locis tamen ubi impune grassantur haereses.

11. delegandi simplicibus sacerdotibus potestatem benedicendi paramenta, et alia utensilia ad sacrificium missae necessaria, ubi non interveniat sacra unctio, et reconciliandi ecclesias pollutas aqua ab episcopo benedicta, et in casu necessitatis, etiam aquo non benedicta ab episcopo.

12. conferendi ordines extra tempora, et non servatis interstitiis, usque ad sacerdotium inclusive.

13. dispensandi super defectu aetatis unius anni ob operariorum penuriam, ut promoveri possint ad sacerdotium, si alias idonei fuerint.

14. conficiendi olea cum quinque saltem sacerdotibus, non tamen extra diem coenae Domini nisi necessitas aliud uregat.

15. celebrandi bis in die, si necessitas urgeat, ita tamen, ut in prima missa non sumpserit ablutionem, per unam horam ante auroram, et aliam post meridiem, sine ministro, sub dio et sub terra, in loco tamen decenti, etiamsi altare sit fractum, vel sine reliquiis sanctorum, et praesentibus haereticis schismaticis, infidelibus, et excommunicatis; si aliter celebrari non possit. Caveat vero, ne praedicta facultate, seu dispensatione celebrandi bis in die aliter, quam ex gravissimis causis, et rarissime utatur, in quo graviter ipsius conscientia oneratur. Quod si hanc eamdem facultatem alteri sacerdoti juxta potestatem inferius apponendam communicare, aut causas ea utendi alicui, qui a Sancta Sede hanc facultatem obtinuerit approbare visum fuerit, serio ipsius conscientiae injungitur, ut paucis dumtaxat, iisque maturioris prudentiae, ac zeli, et qui absolute necessarii sunt, nec pro quolibet loco, sed ubi gravis necessitas tulerit, et ad breve tempus eamdem communicet; aut respective causas approbet.

16. deferendi Sanctissimum Sacramentum occulte ad infirmos, sine lumine, illudque sine eodem retinendi pro eisdem infirmis, in loco tamen decenti, si ab haereticis aut infidelibus sit periculum sacrilegii.

17. induendi se vestibus saecularibus, si aliter, vel transire ad loca eorum curae commissa, vel in eis permanere non peterunt.

18. recitandi rosarium, vel alias preces, si breviarium secum deferre non poterunt, vel divinum officium ob aliquod legitimum impedimentum recitare non valeant.

19. dispensandi quando expedire videbitur, super esu carnium, ovorum, et lacticiniorum tempore jejuniorum, et quadragesimae.

20. communicandi has facultates in totum, vel in partem, prout opus esse secundum ejus conscientiam judicaverit Sacerdotibus idoneis in conversione animarum laborantibus, et praesertim tempore sui obitus; ut sede vacante sint, qui possint supplere, donec sedes apostolica certior facta, quod quamprimum fieri debebit per delegatos, aut per unum ex eis, alio modo provideat.

21. et praedictae facultates gratis, et sine ulla mercede exerceantur, et pro tempore ad beneplacitum s. congregationis de propaganda fide tantum concessae intelligantur.

22. utendi eisdem facultatibus in locis tantum ejus spirituali jurisdictioni subjectis.

Ex audientia SSmi habita die 1. Aprilis 1860.

SSmus Dnus Noster Pius Divina Provid. PP. IX. referente me infrpto s. Congregationis de propaganda fide Officiali R. P. D. Francisco Xaverio Wierzchleyski praedictas facultates benigne concessit ad beneplacitum praefatae s. Congregationis.

Dat. Romae ex Aed. dic. S. Congregnis die et anno praedictis. Gratis sine ulla solutione quocumque titulo.

(L. S.) **Clem. M. Buratti.**

2. *pro foro interno*, sic dictae: „Quinquennales" per Rescriptum Sacrae Poenitentiariae de die 3. Aprilis 1860 ad Quinquennium tributae. En tenorem hujusce Rescripti:

Gabriel Titula S. Quirici et Julittae S. R. E. Presbyter

CARDINALIS FERRETTI

SS. Vincentii et Anastasii ad Aquas Salvias Abbas Perpetuus Commendatarius, et Ordinarius SS. DD. Papae, et Sedis Apostolicae major Poenitentiarius.

Vobis Ven. in Christo Patri Fraecisco Xaverio Wierzchleyski, Episcopo Metropolitanae Ecclesiae Leopolien. ad Quinquenium duraturas infrascriptas communicamus facultates, quibus pro Foro Conscientiae per vos, sive per Vestrum Vicarium in Spiritualibus Generalem, dummodo in Sacro Presbyteratus Ordine sit constitutus, etiam extra Sacramentalem Confessionem pro Grege Vobis commisso, et infra fines Vestrae Dioecesis tantum, atque de speciali, in unoquoque casu exprimenda, Sedis Apostolicae Auctoritate Vobis delegata, uti valeatis; easque Canonico Poenitentiaro, necnon Vicariis Foraneis, pro Foro pariter Conscientiae, sed in actu Sacramentalis Confessionis dumtaxat, etiam habitualiter, si Vobis placuerit: aliis vero Confessariis cum ad vos, sive ad praedictum Vicarium Generalem in casibus particularibus Poenitentium recursum habuerint, pro exposito casu impertiri possitis, nisi ob peculiares causas aliquibus Confessariis a Vobis specialiter subdelegandis, per tempus arbitrio Vestro statuendum, illas communicare judicabitis.

I. Absolvendi ab Excommunicatione ob manus violentas injectas in Clericos, aut Presbyteros, vel in Regulares, dummodo non fuerit sequuta mors, vel mutilatio seu lethale vulnus, aut ossium fractio; et dummodo Casus ad Forum externum deducti non fuerint: injunctis injungendis, et praesertim, ut parti laesae competenter satisfiat.

II. Absolvendi a Censuris contra Duellantes inflictis in Casibus dumtaxat ad Forum Externum non deductis: Injuncta gravi poenitentia salutari, et aliis injunctis, quae fuerint de jure injungenda.

III. Absolvendi quoscumque Poenitentes sive Viros, sive Mulieres (exceptis Haereticis Publicis, sive publice Dogmatizantibus) a quibusvis Sententiis, a Censuris, et Poenis Ecclesiasticis incursis ob Haereses tam nemine audiente, vel advertente, quam coram aliis externatas ob Infidelitatem, et Catholicae Fidei abjurationem private admissas, Sortilegia, ac Maleficia etiam cum sociis patrata necnon ob Daemonis invocationem cum pacto donandi Animam, eique praestitam Idololatriam, ac Superstitiones exercitas, ac demum ob quaecumque insinuata falsa Dogmata; postquam tamen Poenitens Complices, si quos habeat, prout de jure denunciaverit, et quatenus ob justas causas nequeat ante absolutionem denunciare, facta a Poenitente seria promissione denunciationem peragendi cum primum, et meliori modo quo fieri poterit; Et postquam in singulis casibus coram Absolvente haereses secrete abjuraverit; et pactum cum maledicto Daemone initum expresse revocaverit, tradita eidem Absolventi singrapha forsan exarata, aliisque mediis superstitiosis, ad omnia comburenda, seu destruenda; Injuncta pro modo excessuum gravi Poenitentia salutari cum frequentia Sacramentorum, et obligatione se retractandi apud personas, coram quibus haereses manifestavit, et reparandi illata scandala.

IV. Absolvendi a Censuris incursis ob violationem Clausurae Regalarium utriusque sexus, dummodo non fuerit cum intentione ad malum finem, etiam effectu non sequuto, et dummodo casus non fuerint ad Forum Externum deducti, cum congrua Poenitentia salutari. Et insuper absolvendi Mulieres tantum a censuris, et poenis Ecclesiasticis, ob violationem ad malum finem Clausurae Virorum Religiosorum incursis, dummodo tamen Casus occulti remaneant: injuncta gravi Poenitentia sulatari; cum prohibitione accedendi ad Ecclesiam, et Conventum, seu Coenobium dictorum Religiosorum, durante occasione paccandi.

V. Absolvendi a Censuris ob retentionem, et lectionem Librorum prohibitorum incursis, postquam tamen Poenitens Libros prohibitos, quos in sua potestate retineat, prout de jure consignaverit seu consignari fecerit, cum congrua salutari Poenitentia.

VI. Absolvendi a casu Sedi Apostolicae reservato ob accepta munera a Regularibus utriusque sexus; injuncta Poenitenti quando agitur de muneribus infra valorem decem scutorum, aliqua ele mosyna Absolventis judicio taxanda, et caute eroganda, cum primum poterit, in beneficium Religionis, cui facienda esset restitutio; dummodo tamen non constet, quod illa fuerint de Bonis propriis Religionis; quatenus vero accepta munera, vel fuerint ultra valorem scutorum decem, vel constet fuisse de Bonis propriis Religionis, facta prius restitutione, quam si de praesenti adimplere nequeat, praestita in manibus Absolventis obligatione restituendi infra terminum ejus arbitrio praefiniendum, alias sub reincidentia.

VII. Absolvendi Religiosos cujuscumque ordinis (etiam Moniales, per Confessarios tamen pro ipsis a Vobis approbatos, vel specialiter deputandos) non solum a praemissis, sed etiam a Casibus, et Censuris in sua Religione reservatis.

VIII. Dispensandi ad petendum Debitum Conjugale cum Transgressore Voti Castitatis, qui Matrimonium cum dicto Voto contraxerit: hujusmodi poenitentem, monendo ipsum ad idem Votum servandum teneri, tam extra licitum Matrimonii usum, quam si Marito, seu Uxori respective supervixerit.

IX. Dispensandi cum Incestuoso, sive Incestuosa, ad petendum debitum Conjugale, cujus jus amisit ex superveniente occulta affinitate per copulam carnalem habitam cum Consanguinea, vel Consanguineo, sive in primo: sive in primo et secundo; sive in secundo gradu suae Uxoris, seu respective Mariti: remota occasione peccandi: Et injuncta gravi poenitentia salutari, et Confessione Sacramentali quolibet mense, per tempus arbitrio Dispensantis statuendum.

X. Dispensandi super occulto Impedimento Primi, necnon Primi, et Secundi, ac Secundi tantum Gradus Affinitatis ex illicita carnali copula provenientis, quando agatur de Matrimonio cum dicto Impedimento jam contracto: Et quatenus agatur de copula cum suae putatae Uxoris Matre, dummodo illa secuta fuerit post ejusdem putatae Uxoris nativitatem, et non aliter: Monito Poenitente de necessaria secreta renovatione Consensus cum sua putata uxore, vel suo putato Marito, certiorato, seu certiorata de nillitate prioris consensus, sed ita caute, ut ipsius Poenitentis delictum nusquam detegatur; Remota occosione peccandi, ac injuncta gravi Poenitentia salutari et Confessione Sacramentali semel in mense per tempus Dispensantis arbitrio statuendum.

Item. Dispensandi super dicto occulto Impedimento, seu Impedimentis Affinitatis ex Copula illicita etiam in Matrimoniis contrahendis, quando tamen omnia parata sint ad Nuptias, nec Matrimonium absque periculo gravis Scandali differri possit usque dum ab Apostolica Sede obtineri possit Dispensatio: Remota semper occasione peccandi, et firma manente conditione quod copula habita cum Matre Mulieris hujus nativitatem non antecedat; Injuncta in quolibet casu poenitentia salutari.

XI. Dispensandi super Impedimento occulto Criminis, dummodo sit absque ulla machinatione, et agatur de Matrimonio jam contracto: monitis putatis Conjugibus de necessaria Consensus secreta renovatione: ac injuncta gravi Poenitentia salutari, et Confessione Sacramentali semel quolibet mense per tempus Dispensantis pariter arbitrio statuendum.

XII. Dispensandi super Impedimento Tertii, seu Tertii, et Quarti, vel Quarti simplicis Gradus, sive Graduum Consanguinitatis, vel Affinitatis, super quo, seu quibus obtenta fuerit Dispensatio ab Apostolica Sede, et in Litteris hujusmodi Dispensationis reticita fuerit incestuosa copula, quae tamen occulta remaneat. Ac etiam Dispensandi, seu revalidandi ejusmodi Litteras irritas, ac nullas redditas ex Incestu, sive post petitam Dispensationem, sive post illius expeditionem, et ante respectivam executionem patrato, ac iterato usque ad eamdem executionem in casibus semper occultis, sive agatur de Matrimonio contrahendo, sive jam contracto: monitis in Matrimonio contracto putatis Conjugibus de necessaria mutui Consensus secreta renovatione; Injuncta in singulis casibus congrua Poenitentia salutari.

XIII. Praeterea absolvendi a Censuris, et Poenis Ecclesiasticis eos, qui Sectis vetitis, Massonicis, aut Carbonariis, aliisque similibus nomen dederunt, aut favorem praestiterunt, postquam tamen a respectiva secta omnino se separaverint, eamque abjuraverint, libros, manuscripta, ac signa sectam respicientia, si quae retineant, in manibus Absolventis consignaverint ad ordinarium quamprimum caute transmittenda, veraeque poenitentiae signa exhibuerint. Firma obligatione denunciandi sectae socios, ac magistros, prout de Jure, et quoad Carbonarios, eos omnes, de quibus in §. Praecipimus „Bullae Ecclesiam a Jesu Christo" a fel. rec. Pio VII. editae, et a Papa Leone XII. confirmatae. Injuncta pro modo culparum gravi poenitentia salutari cum frequentia sacramentatis confessionis; Aliisque injunctis de Jure injungendis.

Datum Romae ex Aedibus Nostris die 3. Aprilis 1860.

(L. S.) **A. Serafini** *S. P. Praef m. p.*

3. facultas reducendi onera Missarum perpetuarum *ad triennium* tributa, per Rescriptum Sacrae Congregationis Concilii de die 23. Martii 1860, cujus tenor est sequens:

Beatissime Pater! Modernus Archiepiscopus Leopolien. lat. rit. Sanctitatis Vestrae orator humillimus, omni quo decet obsequio et observantia exponit sese animadvertere, multa legata pia Suae dioecesis et missarum perpetuarum onera respective inadimpleta existere signanter propter reditum imminutionem et insufficientiam, possessorumque impotentiam, aliisque attentis circumstantiis. Qua de re facultatem supplicat sibi impertiri, tam in actu visitationis, quam extra vere pauperes super praeteritis ommissionibus absolvendi, nec non hujus modi missarum onera redu-

cendi ad tramites indulti Sa: me: Benedicti XIII. in postremo Romano Concilio impressi. Et Deus etc.

Die 23. Martii 1860. SSmus Dnus Noster, audita relatione infrascripti Secretarii S. Congregationis Concilii, Archiepiscopi, L opolien. oratoris precibus benigne annuens, facultatem eidem impertitus est ad triennium proximum tantum absolvendi vere pauperes super praeteritis ommissionibus adimplementi onerum missarum perpetuarum dumtaxat, injuncta singulis ex iisdem enunciata absolutione indigentibus juxta locorum personarum et temporum circum stantias, ac quantitatem missarum omissarum aliqua celebratione pro unica vice nonnullorum sacrorum in suffragium animarum testatorum applican., pro quibus missae erant celebrandae celebrataeque minime fuerunt, et aliquo pio opere per modum suffragii ut supra itidem applican. Quo vero ad futurum facultatem similiter tribuit eidem Archiepiscopo oratori, ut, dicto perdurante triennio, praefata missarum perpetuaram onera Suae dioecesis, dummodo alias reducta non fuerint, ad tramites indulti Sa: me: Benedicti XIII. in postrema Romano synodo impressi, illiusque forma et tenore in omnibus ad amussim servatis, pro Suo arbitrio et conscientia gratis reducere ac moderari possit et valeat.

A. M. Epps. Tuscul. Card. **Cagiano** *Praef. m. p.*

(L. S.) *A. Quaglia Secretarius m. p.*

4. transferendi nonnulla onera Missarum certis quibusdam Ecclesiis, Altaribus et diebus affixa, ad alias Ecclesias, vel Altaria, per Rescriptum Sacrae Congregationis Concilii de die 23. Martii 1860. itidem *ad triennium* delegata.

Beatisseme Pater! Modernus archiepiscopus Leopolien. latini ritus humilime exponit S. U. nonnulla missarum onera Suae dioecesis certis quibusdam Ecclesiis, Altaribus et diebus affixa reperiri, quibus vel ob Sacerdotum penuriam, vel ob aliam justam et rationabilem causam nequit in iis satisfieri. Ne igitur hujusmodi missarum celebratio retardetur, vel etiam omittatur, enixe rogat S. V. ut dignetur facultatem ipsi concedere, ut quoties necessitas id exegerit, nec divinus cultus in Ecclesiis id circo minuatur, aut populi commoditati praejudicium inferatur, possit ea onera ad alias Ecclesias, dies vel Altaria, durantibus enunciatis circumstantiis, et in alia etiam loca, si opus fuerit, intra ipsam tamen dioecesim transferre. Orator enim Archiepiscopus de exacto ipsorum onerum adimplemento ab iis, ad quos pertineat, rationem exigere non praetermittet. Et Deus etc.

Die 23. Martii 1860. SSmus Dnus Noster, audita relatione infrascripti Secretarii Sacrae Congragationis Concilii Archiepiscopi oratoris precibus annuens, facultatem eidem impertitus est per triennium proximum tantum; ita tamen ut, celebrato majori qui fieri poterit, missarum numero in designatis Ecclesiis et Altaribus diebus praesertim festis, et exceptis legatis quorum implementum haberi potest per augmentum eleemosynae juxta vires reditus, aut haeredum obligationes, reliquas missas pro ejus arbitrio et conscientia celebrare facere possit et valeat in aliis Ecclesiis et Altaribus, ejusdem tamen dioecesis; dummodo concessiones vigore praesentis rescripti faciendae triennii terminum non excedant, et docto quolibet anno coram ordimnario pro tempore de adimplemento et integra enunciatarum missarum celebratione.

A. M. Eppus Tuscul. Card. **Cagiano** *Praef. m. p.*

(L. S.) *A. Quagla Secretarius m. p.*

5. deputandi Examinatores prosynodales *ad triennium* duraturos — medio Rescripti Sacrae Congregationis Concilii de die 23. Martii 1860. tributa.

Perillris ac Rme Domine uti fr: SSmus Dnus Noster, audita relatione infrascripti Secretarii sacrae Congregationis Concilii, precibus Amplit. Tuae benigne annuens, eidem impertitur facultatem eligendi de consensu Capituli duodecim Examinatores loco Synodalium ad triennium tantum duraturos, qu in examinibus promovendorum ad parochiales perinde adhiberi valeant, ac si in dioecesana Synodo fuissent electi. Ita tamen, ut si qui ex deputatis in ultima Synodo supersint, iis etiam una cum a se electis utatur. Omnium vero, etiam dicto termino durante, expiret potestas quando celebrata fuerit Synodus, et Amplit. Tuae fausta monia precamur a Domino.

Amplit. Tuae

Romae 23. Martii 1860.

Uti fr. stud.

A. M. Card. **Cagiano** *Praef. m. p.*

Leopolien. Archiepiscopo. *A. Quaglia Secretarius m. p.*

6. deputandi Judices prosynodales *ad triennium* — delegata pariter per Rescriptum Sacrae Congragationis Concilii de die 23. Martii 1860.

Beatissime Pater! Quum desint moderne Archiepiscopo Leopolien. latini ritus Judices Synodales, nec modo Synodum convocare valeat, facultatem a Sanctitate Vestra expostulat, eligendi duodecim Judices loco Synodalium, quibus uti possit, ac si in dioecesana Synodo fuissent electi. Et Deus etc.

Die 23. Martii 1860. SSmus Dnus Noster, audita relatione infrascripti Secretarii sacrae Congregationis Concilii attentisque narratis, supradictis Archiepiscopi oratoris precibus benigne annuit juxta petita, ad proximum triennium tantum cum consilio Capituli, servata tamen in omnibus forma Sacri Concilii tridentini Sess. 25. Cap. 10. de Reform. et Contitutionis Sa. me. Benedicti XIV. Quamvis Paternae.

A. M. Eppus Tuscul. Card. **Cagiano** *Praef. m. p.*

(L, S.) *A. Quaglia Secretarius m. p.*

7. designandi in singulis Ecclesiis *ad septennium* Altare privilegiatum pro defunctis Breve de die 24. Martii 1860, cujus tenor est sequens:

Pius PP. IX. Venerabilis Frater salutem et Applicam Benedictionem. Salvatoris et D. N. I. C. vices licet immeriti gerentes in terris ejusque exempla sectantes animabus Christifidelium in purgatorio existentibus, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migrarunt, opportuna de thesauro Ecclesiae auxilia subministrare studemus ut illis quantum Divinae Bonitati placuerit adjutae ad coelestem patriam facilius pervenire valeant. Ea propter Nos Parochiales et Collegiatas Ecclesias tuarum Civit ac Dioec. Leopolien. quae etiam ob earum tum dignitatem tum antiquitatem semper in honore habitae sunt ac speciali praerogativa pollent coelestium munerum elargitione decorare volentes, supplicationibus quoque tuo nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati revocatis in eis Privilegiatis Altaribus intuito Paroeciae sive in Perpetuum sive ad tempus jam concessis, Tibi ut semel per Te ipsum in qualibet ex Parochialibus et Collegiatis Ecclesiis hujusmodi unum dumtaxat Altare ad septennium proximum tantum Privilegio Aplico decoratum pro animabus Christifidelium a Purgatorii poenis liberandis designare valeas, ita ut quandocumque Sacerdos aliquis saecularis seu cujusvis Ordinis Congregationis et Instituti regularis pro anima cujuscumque Christifidelis, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, Missam ad Altare sic per Te respective designatum celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii Indulgentiam consequatur, et ejusdem D. N. I. C ac Bmae Virginis Mariae, Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus a purgatorii poenis, si ita Deo placuerit, liberetur facultatem auctoritate Aplica tenore praesentium concedimus et impertimur. Non obstan. Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Aplicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXIV. Martii MDCCCLX. Pontificatus Nostri Anno Decimoquarto.

Pro Dno Cardinali **Macchi**

(L. S.) *I. B. Brancaleoni Castellani S. m p.*

8. solonniter benedicendi populo cum plenaria Indulgentia nomine et auctoritate SS. D. N. Pii Papae IX. et Romani Pontificis pro tempore existentis, in duabus cujusque anni solennitatibus, videlicet die Paschatis, et alio die festo arbitrio et voluntate Nostra eligendo, post Sacra Missarum solemnia, juxta ritum ac formulam Nobis traditam. Quae quidem facultas per Breve de die 24. Martii 1860. tributa est Nobis *ad tempus, quo Dioecesi isti praefuerimus.*

9. Benedicendi Cruces et S. Numismata, cum applicatione Plenariae Indulgentiae in articulo mortis consequendae, nec non Coronas precatorias cum applicatione Indulgentiarum S. Birgittae nuncupatarum, — nacti sumus per Breve de die 20. Aprilis 1860. *ad decennium.*

10. dispensandi super impedimentis consanguinitatis vel affinitatis in tertio gradu mixto cum secundo pro viginti, et in secundo gradu puro pro duodecem casibus. En tenorem concernentis rescripti Sacrae Poenitentiariae:

2496. Beatissime Pater! Pie defunctus antecessor meus, Archiepiscopus Leopoliensis Lucas Baraniecki, et post ejus fata ad regimen hujus dioecesis canonice electus Vicarius Capitularis Antonius Manastyrski, de speciali gratia Sanctitatis Vestrae gaudebant facultate dispensandi in impedimento consanguinitatis et affinitatis in gradu tertio mixto cum secundo, nec non in secundo gradu puro. Hanc eandem facultatem mox in muneris mei pastoralis ingressu a Sanctitate Vestra efflagitare cogor, continuo enim perdurant motiva, quibus delegatio suprafatae facultatis meis Antecessoribus, innitebatur. Frequentes emergunt casus, in quibus dispensatio in suprafatis impedimentis expostulatur, quumque propter illam, quae his in oris a longa annorum serie invaluit praxim, tum ob intervenientia haud raro motiva reflexione omnino digna, impossibile sit petitis hisce denegare — quum porro altera ex parte perquam difficile sit in quovis singulari casu ad Sanctitatem Vestram pro opportuno remedio recurrere tam ob notabilem distantiam quam ob expensas, quibus ferendis petentes haud pares sunt, proinde provolutus ad pedes Sanctitatis Vestrae humiliter oro, dignetur Sanctitas Vestra benignissime mihi delegare facultatem dispensandi in impedimentis consanguinitatis et affinitatis, in gradu tertio mixto cum secundo pro triginta casibus, et in gradu secundo puro pro viginti casibus.

Exosculans cum filiali pietate sacratos pedes, persevero Sanctitatis Vestrae obedientissimus filius

Franc. Xaver. Wierzchleyski
Archieppus Leopol. l. r.

Leopoli, 24. Septembris 1860.

Sacra Poenitentiaria, de speciali et expressa Apostolica Auctoritate, benigne sic annuente SSmo Dno Nro Pio Papa IX., Ven. in Xto Patri Moderno Episcopo Leopol. Oratori facultatem concedit dispensandi cum suis dioecesanis super recensitis impedimentis pro eodem numero casuum, pro quo eadem facultas Ejus Antecessori concessa fuit, scilicet: super impedimentis secundi gradus simplicis consanguinitatis, seu affinitatis, pro duodecim casibus, — super impedimentis autem secundi gradus mixti cum tertio pariter consanguinitatis, seu affinitatis, pro viginti casibus; servata etiam in reliquis forma ac tenore praedictae concessionis. Datum Romae in S. Poenitentiaria die 28. Novembris 1860.

(L. S.)

A. Serafini S. P. Praef. m. p.
G. Ballarati S. P. Secretarius m. p.

Quum autem ultimus hujusce rescripti passus provocet ad anteriorem similem concessionem, commemorare oportet, parem clausulam tam in proxime praecedenti simili concessione, quam etiam in prioribus resciptis ejusdem generis, ad Antecessores Nostros directis occurrere; quas proinde omnes retrogradiendo, invenimus denique in rescripto S. Poenitentiariae ad p. d. Archiepiscopum Franciscum de Paula Pistek de die 7. Dec. 1838. conditiones expressas hisce verbis: „facultates quibus uti valeat cum suis Dioecesnis, vere pauperibus, quando magna causae gravitas concurrat, et absque gravis mali periculo matrimonium differri nequeat, et sub ea conditione, ut in singulis actis expressa mentio fiat specialis hujus Apostolicae Delegationis.“

11. concedendi Oratoria privata. Breve Apostolicum de die 1. Martii 1861. *ad septennium* sonans, sequentis est tenoris:

Pius PP. IX. Venerabilis Frater, salutem et Aplicam Benedictionem. Exponendum curavisti Nobis tantam hyemali tempore istis in regionibus esse vim frigorum, ut plerique, vel Ecclesiastici viri, aut aetate graves, aut valetudine laborantes, ex medicorum consilio ab adeunda publica Ecclesia, ea tempestate prohibeantur; et idcirco fieri, ut pro sua spirituali consolatione sacrum privatis in oratoriis celebrandi, aut celebrari faciendi, veniam ab te petant. Cum itaque huic tuorum fidelium studio salubri sane, et frugifero in Domino occurrere impense cupias, Nos enixis precibus rogavisti, ut facultatem tibi de Apostolica Nostra Auctoritate facere mus, cujus ope veniam ejusmodi concedere recte posses. Nos igitur tuis votis quibus uberius spirituali tuorum fidelium bono consulitur, obsecundare, quantum cum Domino possumus, volentes, tibi, Venerabilis Frater, eas partes tenore praesentium, ad septennium proximum tantum auctoritate Nostra Apostolica committimus, ut in casu tantum infirmitatis, aut legitimae et rationabilis causae, qua publicam adire Ecclesiam Oratores prohibeantur, iisdem oratorii privati indultum, pro tuo arbitrio, servatis servandis, Nostro et Romanae Sedis Nomine concedere libere, et licite possis, facta in singulis casibus speciali mentione Apostolicae hujus delegationis. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, aliisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 1. Martii MDCCCLXI. Pontificatus Nostri Anno Decimoquinto.

(L. S.)

12. quoad memoratam supra sub n. 3. facultatem missarum onera reducendi, notanda est posterior Nobis ad triennium indulta potestas ad reducenda etiam talia missarum onera, quae super agris et fundis radicata sunt. Sede nempe Archieppali vacante, post p. d. Antecessorum Nostrum Lucam Baraniecki, Rmus Vicarius Capitularis opportunas Sacrae Sedi hoc in objecto exposuit preces, benignamque resolutionem nactus est; cujus tenor est sequens:

Beatme Pater! Non rari prodeunt casus, quod post adeptionem decimarum in fructibus terrae Ecclesiis ad annum 1848. praestari solitarum, nec non post abolitos laboratiles dies, quos coloni rustici parochis subministrabant, beneficia ecclesiastica agris et fundis dotata, licet mutationem quantitatis agrorum non sint perpessa, attamen perditis ad cultivandos agros ad annum 1848. adhibitis gratuitis laboratoribus, adeo in proventu depressa evaserunt, ut vix ac ne vix sustentando congrue Clero curam animarum gerenti sufficiant. Parochi igitur tales, qui hac dura temporum, vicissitudine in proventibus damnificati extiterunt, confugiunt, ad hanc Curiam Archiepiscopalem nunc suo pastore viduatam, ac per humillime signatum capitularem Vicarium administratam postulantes reductionem missarum fundationalium super agris et fundis in proventu imminutis originetenus radicatarum.

Dum vero objectum principale super quo onus missarum collocatum fuit, in quantitate mutatum non sit, sed solummodo circa conditiones, a quibus proventus ex hoc objecto essentialiter pendent, adeo magna mutatio invaluit, ut et ipsum objectum valorem suum amiserit; quaestio oritur, licet ne mihi missas fundationales etiam tales reducere, quae radicatae sunt super fundis et agris in quantitate quidem non minutis, ast ob causas justas et veras in fructificando adeo depressis ut annui horum agrorum et fundorum proventus quantitate missarum iisdem conjunctarum, licetsi stipendium pro quavis missa lecta unum pro cantata vero (absque officio defunctorum) duos florenos conventionalis monetae non excedat, nullatenus respondeant?

Quum autem alleviatio durae sortis multorum parochorum revera posceret, ut etiam agris et fundis in quantitate non minutis, ad rationem imminutorum proventuum numerus missarum regulari possit; hinc qua par sum filiali cum submissione affirmativam quaestionis expositae solutionem a plenitudine gratiae, et potestatis Apostolicae implorans, devotissime in osculo sacratorum pedum perenno Sanctitatis Vestrae

obedientissimus filius et humlms servus
Antonius Manastyrski,
Custos ad Eccl. Mptanam Leop. et Vicar. Capitularis.

Leopoli, 6. Oct. 1858.

„Die 18. Decembris 1858.“ SSmus Dnus Noster audita relatione infrascripti Secretarii Sacrae Congnis Concilii, suprascriptis Vicarii Capitularis Oratoris precibus annuens, facultates necessarias et opportunas eidem benigne impertitus est ad hoc, ut veris existentibus narratis, ennunciata missarum onera, habito respectu ad praesentes fundorum reditus, pro suo arbitrio et conscientia gratis reducere ac moderari possit et valeat, ita tamen, ut si quando parochialium Ecclesiarum reditus augeantur, augeatur etiam proportionabiliter numerus ipse missarum, quod praesertim in actu sacrae Visitationis erit inspiciendum. Mandavit autem Ipsa Sanctitas Sua, ut hujusmodi onera sic reducta describantur in tabella sacrarii respectivarum Ecclesiarum ad formam Decretorum generalium Sa. mem. Urbani VIII. et Innocentii. XII. de celebratione missarum.

A. M. Eppus Tuscul. Card. **Cagiano** *Praef. m. p.*
A. Quaglia Secretarius m. p.

Quia vero facultas haec ad personam dumtaxat suprafati Rmi Dni Vicarii Capitularis restricta erat, extensionem ejus ad Nos quoque efflagitavimus, ut patet ex sequenti rescripto:

Beatme Pater! Vacante Sede Archiepiscopali Leopolitana l. r. obtinuit pro tunc Capitularis Vicarius ex gratia Sanctitatis Vestrae hic in copia adjacentem facultatem reducendi missas, super agris et fundis radicatas, quorum tamen area et proventus temporum injuria tam imminuti sunt, ut nunc oneri missarum, originetenus praefixarum, nullatenus respondeant. Quum vero talis facultas ad personam Capitularis Vicarii concessa, nunc in obvenientibus casibus a devote signato Archiepiscopo Leopolitano r. l. adhiberi nequit, omni cum submissione supplicandum duxi, ut facultas Vicario Capitulari largita, nunc dum Sedes Archiepalis Leop. l. r. plena est, in suo tenore ad personam meam ex gratia Sanctitatis Vestrae extendatur.

In osculo sacrorum pedum perseverans, Apostolicam benedictionem pro me et ovili meo exoro Sanctitatis Vestrae obedientissimus filius

Franc. Xav. Wierzchleyski
Archieppus Leopol. l. r.

Leopoli, 16. Januarii 1861.

„Die 2. Martii 1861.“ SSmus Dnus Noster audita relatione infrascripti Secretarii sac. Congnis Concilii, suprascriptis Archiepiscopi Oratoris precibus annuens, petitam facultatem per triennium proximum tantum, servata tamen in reliquis forma ac conditionibus memorati indulti diei 18. Dec. 1858. eidem Archiepiscopo benigne impertitus est.

(L. S.)

P. Card. **Caterini** *Praef. m. p.*
A. Quaglia Secretarius m. p.

Haec itaque dum Venerabili Clero notificamus, id tantum observare debemus, Nos omnes supradictas facultates, toties quoties Nos a residentia Nostra abesse, vel infirmari, vel quocumque alio modo impediri contingat, illi Rmo Dno Praelato Venerabilis Capituli Ecclesiae Nostrae Metropolitanae subdelegare solere, quem ad regimen dioecesis nomine Nostro pro tempore gerendum substituimus.

Leopoli, die 27. Maji 1862.

FRANCISCUS XAVERIUS
ARCHIEPISCOPUS m. p.

Właściciel i wydawca odpowiedzialny X. Prusinowski w Grodzisku. — Czcionkami Drukarni Tygodnika Katolickiego w Grodzisku.